



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Canones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
314

dium in pauperes, offerunt honorati.

πουργὸν, διὰ τὴν ἀποδιδῶν εἰς τὸν  
πρωτοῦ, προσφέρουσι τιμώμενοι.

XV.

Diaconi septem esse debent ex Canone, etiam si sit magna ciuitas. Eius autem rei fidem faciet liber Actorum.

Διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι καὶ τὸ κανόνα, καὶ πάντοτε μεγάλη εἴη ἡ πόλις. πειθήσῃ δὲ ἀπὸ τῆς βίβλου τῆς ἀτάξεων.

Distin. 93.  
Diaconifem deb.

## CANONES CONCILII NEOCÆSAREENSIS,

Ex interpretatione Dionysii Exigui.

### TITVLI CANONVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De presbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.                       | IX. De his qui ad presbyterium promouentur, & ante ordinationem sunt sibi peccatorum conscii. |
| II. De his qui duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores acceperint uxores. | X. De diaconibus similiter.   |
| III. De multinubis.  | XI. Quo tempore conueniat presbyterum ordinare.   |
| IV. De his qui proponentes fornicari, vetantur.                                    | XII. De his qui in aegritudine baptismi consequuntur.   |
| V. De catechumenis peccantibus.  | XIII. De presbyteris agrorum.   |
| VI. De catechumena pregnante.  | XIV. De numero certo diaconorum.  |
| VII. Quod non oporteat in bigami nuptiis orare presbyterum.                        |   |
| VIII. De his qui mulieribus adul-  |   |

## CANONES.

I.

**P**RESBYTER si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad poenitentiam redigi.

Distin. 28.  
Presbyter.  
Et in dec.  
Iuo libr. 3.

II.

Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur vsque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis

Concil. Tom. 2.

K ij

huius coniunctionis vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

ANNO CHRISTI 314.

## III.

31. q. 1. De his qui frequent.

De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est : sed conversatio eorum & fides tempus abbreviat.

## IV.

Aduerte.

Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio eius non perueniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus est.

## V.

Catechumenus si ingrediatur Ecclesiam, & in ordine eorum qui instruuntur, assistat; hic autem deprehensus fuerit peccans: si quidem genu flectit, audiat, ut non delinquat ulterius: si vero & audiens peccauerit, expellatur vi.

## VI.

Graudam oportet baptizari quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit nascenti communicat, propterea quod vniuscuiusque suum propositum in confessione declaretur.

## VII.

31. q. 1. De his qui frequent. Et in decr. Iuo. lib. 6.

Presbyteris in nuptiis bigami prandere non conuenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter conuiuium talibus nuptiis possit præbere consensum?

## VIII.

34. Dist. Si cuius vxorem.

Mulier cuiusdam adulterata laici constituti, si

euidenter arguatur, talis ad ministerium cleri venire non poterit. Si vero post ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam conuenit. Quod si cum illa conuixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.

## IX.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato prouehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste nequiverit, potestatis suæ iudicio relinquatur.

## X.

Simili modo etiam diaconus si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

## XI.

Presbyter ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus, sed hoc tempus obseruet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.

## XII.

Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoueri, quod non ex proposito fides eius, sed ex necessitate descendit: nisi forte propter sequens studium eius & fidem, atque hominum raritatem, talis possit admitti.

## XIII.

Presbyteri rursus in Ecclesia ciuitatis, Episcopo

præsente vel presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam Septuaginta videntur esse: vt comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur.

ANNO  
CHRISTI  
314.

## XIV.

<sup>h</sup> Diaconi septem debent esse iuxta regulam, licet & valde magna sit ciuitas. Idipsum autem & Actuum Apostolorum liber insinuat.

Ad. 6.

CANONES  
CONCILII NEOCÆSARENSIS.

Ex interpretatione Isidori Mercatoris.

## TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De presbyteris, quod uxorem ducere non debeant.     | VIII. Vxoris adultera virum, clericum fieri non debere.    |
| II. De muliere, duobus fratribus nubere non licere.    | IX. De presbyteris corporali peccato praecipatis.          |
| III. De his qui multis nuptiis communicauerunt.        | X. De diaconibus corporali peccato praecipatis.            |
| IV. De concupiscentia non consummata.                  | XI. De presbytero minus triginta annorum minime ordinando. |
| V. De catechumenis peccantibus.                        | XII. De his qui in egritudine sunt baptizati.              |
| VI. De pregnantibus baptizandis.                       | XIII. De presbyteris alterius regionis.                    |
| VII. Presbyteros in secundis nuptiis non debere orare. | XIV. De diaconibus septem.                                 |

## CANONES.

## I.

**P**RESBYTER si vxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus